



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 67. Abaelardus damnatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

## §. LXVII.

Sæcul. XII.

A. C. 1140.

*Abaelardus damnatur.*

Innocentius Papa, acceptis Episcoporum & S. Bernardi contra Abaelardum literis, Sententiam in eum protulit in Epistola, ad Henricum Episcopum Senonensem, ad Samsonem Remensem, eorum Suffraganeos, & ad S. Bernardum data, ubi postquam adnotavit, non amplius de iis, quæ in Conciliis decisa fuissent, disputandum esse, subjungit: *Communicato Fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio, Capitula a vobis ad nos missa, & universa ipsius Petri dogmata, eum suo Auctore damnavimus, eique tanquam Hæretico perpetuum silentium in posuimus. Universos etiam errorum ejus Sectatores a Fidelium Communionem separandos & Censura Ecclesiastica innodandos censemus. Datum in Laterano die decima sexta Julii.* Huic Epistolæ Papa adjunxit aliam, die præcedente datam, atque ad eosdem Archiepiscopos directam in hæc verba: *Per præsentem Literas vobis mandamus, quatenus Petrum Abaelardum & Arnaldum de Brixia, perversi dogmatis Fabricatores, & Catholicæ Fidei Impugnatores, ubi melius visum fuerit, in Monasteriis separatim includi curetis, & libros eorum ubicunque reperti fuerint, comburi.* Inscriptio autem aperta

ap. Baron.  
ep. 194.  
to 10. Conc.  
p. 1122.

Sæcul. XII. aperta & patens erat hujusmodi: *Scripta ista nolite ostendere cuiquam, donec ipsæ literæ in Parisiensi colloquio, quod prope est, ipsis Archiepiscopis præsentata fuerint.*

A. C. 1140.

*Petr. Clun.  
IV. ep. 4.*

§. LXVIII.

*Abaelardi extrema.*

Concilio Senonensi soluto, Abaelardus iter Romam aggressus est, interjecta Appellatione Judicium Summi Pontificis experturus. Cum in itinere Cluniacum divertisset, & Petrus Venerabilis hospitem interrogasset, quo iturus esset, respondit: *Persequuntur me homines, qui me Hæreticum appellant, quam ego notam. Et nomen usque adeo aversor & borreo, ut nihil magis. Ideoque ad Sacram Sedem confugio.* Abbas, dilaudato viri consilio, certum esse jubebat, Papam, quod Justitia postularet, pronunciaturum, quin etiam, si opus esset, ei gratiam facturum. Inter hæc Abbas Cisterciensis, Cluniacum delatus, cum Abbate Cluniacensi & Abaelardo de ejus reconciliatione cum S. Bernardo agere cœpit. Ergo Abbas Cluniacensis quoque operam junxit, suasitque Abaelardo, ut se Abbati Cisterciensi socium daret. Hortatus præterea, ut retractaret vel deleret dicta sua Scriptave, quæ aures Catholicorum offenderent. Secutus est hoc consilium Abaelardus, atque